

qui in Thraciam eos abducit, unde postea cum Thoante avo suo, Bacchi beneficio servato (fr. 64 II 105 sq.), Lemnum revertuntur. Cum ad aetatem adultam pervenissent, matris quaerendae causa profecti postremo Nemeam delati sunt. Atque hic Euripidis tragoedia incipit.

Quales autem Hypsipylae casus fuerint inde a fuga usque ad filiorum adventum, quod duodeviginti fere annorum spatium est, silentio praeteriisse videtur poeta.

Quo magis adducor ut Roberto assentiar arguenti apud Euripidem primum Nemeam ductam esse Hypsipylam, eo consilio ut Argonautarum et septem ducum expeditiones conecterentur.

Tragoediae Euripideae argumento nullus antiquitatis auctor omnibus numeris congruit. Proxime accedunt Apollod., Schol. Clem. Al., Hygin., quorum narrationes invenies p. 3 sq. Sed ne hi quidem Hypsipylae filios memorant, qui apud Euripidem satis magnas partes agunt. Staius quoque quam incertus hac in re auctor sit luculenter apparet.¹

IV.

Quo tempore scenae commissa sit fabula nostra rogantibus ante omnia inspiciendum est schol. Ar. Ran. 53, ubi quaeritur cur Andromedam potissimum legisse Bacchus ab Aristophane dicatur: *διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν Ὑψιπύλης Φοινισσῶν Ἀντιόπης; ἢ δὲ Ἀνδρομέδα ὀγδόῳ ἔτει προεισηχται.*

Andromedam igitur octo annis ante Ranas datam esse hinc discimus, id est anno 412. Unde sequitur ut inter annos 412 et 407/6² Hypsipyla sit acta. In promptu est cum editoribus Britannis existimare anno 405 Hypsipylam tragoediam satis recentem fuisse et metri habita ratione et crebrarum dramatis apud comicum poetam imitationum.

Fuere autem, qui ex scholio supra laudato colligerent Hypsipylam, Phoenissas, Antiopam trilogiam effecisse (Valckenaer, Diatr. p. 211 c; Dindorf, P. S. G.,⁵ Prolegom. p. 22; Hartung

1. Vid. Gr.-H. p. 22.

2. v. Wilamowitz, Anal. Eurip. p. 148: „neque 407, 406 chorum accipere poterat Euripides, qui ad Archelaum migravisset.“